DE CHLOROSI DISSERTATIO INAUGURALIS AD MEDICINAE LAUREAM…

Paolo Peroni

DE

CHLOROSI

DISSERTATIO INAUGURALIS

AD

MEDICINAE LAUREAM

OBTINENDAM

A

PAULO PERONI

VERONENSI

IN LUCEM PROLATA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXII.

Vestro judicio, Professores celeberrimi, hoc meam quodcumque sit opus suppono. Humanitas qua hucdam lucalenter largitus fui, sententiam vestram hac die non rigidam reddet, et ego alacri animo ad patres non ad judices pervenio; meo tamen debili ingenio faveatis oro.

Forsan nullus morbus tam quaestionibus auctorum quam chlorosis ansam praebuit. Essentia, conditio pathologica, quae semper in sana praxi inquiri debet, a variis theoriis medicis obnubilata sub vario adspectu, etiam contrario apparuit. Sed quocunque modo sentiant varii auctores, omnes tamen in praescriptione remediorum consentiunt, et a praemissa idea morbi de vi remediorum, sicuti a vi de remediis ab essentia morborum vicissim opinati sunt. Facile quidem est medicas cognoscenti theorias de chlorosi, de actione remediorum disquirere phaenomenaque juxta eas explicare;

sed quid eveniret? Medicae scientiae pudor, quin nunc contrariae opiniones in eodem subjecto mentes medicorum agitarent: *Quot capita tot sententiae*; quibus assentiar, quibus abtemperabo, quas sequar? Verum est quod ab hoc practica medicina nullum damnum patitur; sed hoc sufficit ne medico philosopho? Sit empiricus qui ratiocinari non valet, qui cogitationes fugit, qui medico nomine indignus evadit.

Auctorum itaque examinabo breviter sententias, et aliquid de iis quantum meo ingenio debili meisque viribus datur, sermonis habere conabor.

Ex pulsuum qualitate sic dicta metallica, ex cordis palpitatione, ex menstruorum retentione, atque colore pallido-sub-viridi cutis chlorosim in angioitide aliqui sistere patant; marti proprietatem deprimentem tribuant systema maxime vasorum praediligentem. Alii revera minus philosophi, morbum a characteribus remotissimis dijudicando, nempe a colore, a debilitate et inertia systematis maxime muscularis et digestionis, de diathesi hyposthenica, seu de morbo universali debilitatis pertractari aperto ore bacchantur; de actione ferri excitante, roborante auctoritate antiquorum suffulti, veluti de re jam satis demonstrata au-

dent elata voce ubique exclamare. Alii, ut celeberrimus Brera, oxygenei deficientiam in assimilatione materiarum organa et systemata componentium. Darwin actionem vasorum absorbentium imminutam morbi hujusce caussam volunt.

Schola gallica physio-pathologica (nil mirum) chlorosim gastritem seu gastro-enteritem chronicam esse persentit. Alii, ut Grotanelli, in atonia uteri et lienis conditionem pathologicam sistere sunt arbitrati.

Opiniones antiquorum mihi, ne vestra abutar patientia, praetermittere opus est, eo magis quo ab iis humoralibus canonis innixis lumen verae morbosae essentiae mehercle nequit emicare.

Pauci adsunt morbi, qui in actionibus solummodo morbosis consistunt, ait Speranza; nullus morbus certe a sano pathologo invenitur solummodo dynamicus; vis enim a materia emanat, nec existere ex se potest, et si abnormis fit, abnormis molecularum dispositio debet adesse; quae in sectione cadaverum patet, dumtaxat si textu, figura, connexionibus mutatis sistat. Hoc negare est plane pathologiam ignorare. In sectione itaque cadaverum ab hoc morbo enecatorum, uterus valde parvus et exsiccatus, cor magnum san-

guine nigro plenum, concreto, intestina gangraenata, viscera abdominalia obstructa, effusiones in cranii cavitate, cordis et ventris, anasarca, in systemate arterioso nulla mutatio huc usque inventa fuit.

Organon aliquod vel systema affectum in chlorosi, at in omnibus morbis, e mente sana videndum. Morbi primitus generales a Brunone admissi, a systemate bononiensi et gallico, et maxime a celeberrimo Buffalinio respuuntur, qui aperte dicit: » L'agir delle potenze nuocive è locale al punto che toccano » da cui poscia determinandosi ad altri diventi » universale. » Affectum ergo est systema sanguineum? Certe, at quis negabit? in eo morbi essentia consistit? Non videtur. Quot revera inveniuntur angioitides acutae, vel chronicae in quibus color ille peculiaris non cernitur? In quibus uterus etiam gradu, et modo quo in chlorosi non afficitur. Si color ille, ut a schola Tommasiniana explicatur, a spasmo, seu contractione extremitatum vasorum originem trahit, cur pallidus potius quam viridis constanter non apparet, ut in stadio frigoris febrium observatur? Quare ab hac conditione non evolvuntur alterationes in systemate sanguineo, in autopsiis nec processus flithiaci, qui Bruno-reformatorum sententia ab illa causa

oriuntur, ut vestrum unicuique patet? Ad statuendam ergo arteritem remanet palpitatio cordis et pulsuum metallica proprietas; sed vasorum systema non afficitur etiam si conditio pathologica in alio organo existat, organa non constant vasis, non diffunduntur illae affectiones? Quin immo pulsuum qualitas una dependere non potest a variis morbis? Materies alterari potest vario modo et duplei solum manifestare affectiones, si motus dumtaxat examinatur, ait celeberrimus Buffalinius; quod exemplo spirae elasticae a metallis variis compositae exquisite demonstravit Goldoni. Ex phaenomenorum aggregata clarescit diagnosis; si ad confirmandam propriam sententiam de usu benefico venae sectionis loquantur Bononienses, quid dicam dum fere omnes auctores contrario persentiant? immo Geromininus ipse, qui omnes morbos, uti scitis, phlogisticos retinet, exclamat: » Aggravansi i sintomi » morbosi e specialmente quelli del sistema » vascolare in una donna clorotica trattata col » salasso; » et si aliqua parva venae sectio levamen ferat, effectus morbi non morbus ipse exinde aufertur. Si morti solum vim deprimentem tribuunt, loquantur cum professore Braschi, qui inquit modum agendi mortis in oeconomiam animalem obscurum et incertum ad-

hac esse. Si deprimens specificum est systematis vascularis, cur digitalis eundem effectum non tribuit, quae immo saecundum Speranza in hoc morbo detrimentam esse fatetur?

Gastro-enteritis lenta ut causa chloroseos haberi non potest; afficitur revera hoc systema, sed consensuali modo et specifico; specificas enim morbus est uti videbimus. Quot revera adsunt gastro-enteritides lentae quae propriis phaenomenis patefiunt, quin omnis symptomatum chloroseos series apparcat? Quaenam est ratio per quam nunc uno modo, nunc prorsus alio manifestatur eadem affectio? Nescio quo pacto alioquin spectabilis Grotanelli in liene conditionem pathologicam chloroseos videat et conditionis asthenicae determinet. Vasa saltem sanguinea, vel tubus gastro-entericus semper in consensum trahuntur, possunt videri primitus et eminenter affecta; sed hic auctor in nosologia hujusce morbi scienter a veritate effugere videtur.

Quid de Brerae et Darwinii opinionibus dicam? Auctores maximi sunt, et quorum fama, veluti ardentissima lux emicat et elaeescit ubique: tantos homines veneror et sileo.

Debilitatem ut causa chloroseos vel universalem, vel partialem respuendam esse censeo; nam enim hac praemissa, alia phaenomena ex-

plicantur, nec remediis vincitor stimulantibus, nec morti proximis etiam color ille, nec qualitas palsuum peculiaris invenitur.

In utero ergo morbus sistit, affectio peculiaris est non phlogistica, non hyposthenicae indolis, sed peculiaris organicae mixtionis, et pondus grave, dolores peculiares, menstruorum retentio, extremitatum inferiorum torpor, aliquando debilitas systematis muscularis, sensatio aliqua pecaliaris lumborum et sacri, systema sanguineum, et assimilationis simpatice peculiari modo affectioni topicae respondens alteratum, color cutis peculiaris, caput quoque specifice affectum, de hoc deponere meam induount sententiam; eo magis mea opinio sic libere promanat dum profundissimi Buffalini ideis consonat. Ad firmandam diagnosim solidiorem arcana oeconomiae organicae cognosci debent, sed ait Buffalinius ipse: »Questa ricerca »sembra a dir vero vanissima e superiore af»fatto alle nostre facoltà ». Sufficit itaque nobis demonstrasse morbum esse specificum.

Sed celeberrimus professor noster Federigo praeparatis martialibus usus fuit utpote quae talem sanguini naturam praebent, unde nutritio facilior et melior evadat.

Specifice agit ferrum, et haec opinio illi Bondioli, Speranza et Buffalini, est consen-

tanea. Specificitatem pharmacorum negare soli Brussais lubenter relinquo. Schola italica Tommasiniana in primis eodem modo sentiebat, nunc veritati videtur obtemperare. Theoria vitalitatis Browinianae et caecus amor excitamenti ad hoc ducit. Ecce nunc ratio ob quam contra sanae medicinae praecepta ait Basevi: » La filosofia rigetta i rimedi specifici, ed » il lume del nostro intelletto non ne com- » prende l'azione » Quare systema Buffalinianum sequens Bergontii characteribus cubitalibus scripsit: » Il dinamismo è distrutto » Quod si Freind dicat: » Ita theoriae praxis opem poscit, at nemo de medicina egregie mereri queat, qui utramque non conjunxerit », adjungam infelicem praxim redderet, si nimis systematibus obtemperabit.

THESES

I.

Vis vitalis est vis secundaria.

II.

Mixtus organicus varimode, et tamen vis qua pollet triplici solum modo peccare potest.

III.

Error maximus Bruno-reformatorum consistit in consideranda excitabilitate ut ens reale, dum non est nisi idea abstracta.

IV.

Tria morborum genera duntaxat non adsunt, sed indeterminata.

V.

Ut natura morbi pateat, causae cum symptomatibus et remediis simul sumptae necessariae medico evadunt.

VI.

Morbi omnes specifici.

VII.

Non functiones alteratae sufficiant solummodo ad morbi nosologiam cognoscendam, quia a vi vitali, a processu chemico dynamicoque simul procedunt.